gritate sua perstant: contrà peruersi & malitiosi prauitate sua à fide Dei declinant, & Mundo sese accommodant. Deinde obserua, quòd non simpliciter dicit, *Qui verò declinant*: sed, *Qui verò peruersitate sua declinant*. Etenim aliud est, ex infirmitate carnis, animi, vel etiam fidei, tentationibus cedere, & à scopo recti declinare, id quod nonnunquam & sanctis vsuenit: cuius rei vel apostolus Petrus testis est. & aliud ex malitia, prauitate, & peruersitate cordis vafri ac subdoli, à fide Dei declinare, quod sanctorum esse non potest: est autem omnino hominum malorum & impiorum, quos Deus ex animo detestatur, quamuis conspicui sint in hoc seculo, & plerunq; sancti & iusti esse videantur. Hoc genus hominum Ecclesiam Christi inde ab Apostolorum tempore corrupit, & specie sanctimoniæ decepit. Tertio & illud expende, quod dicit: *Abducet eos Dominus*. Ergo cogemur illos in populo Dei ferre, donec iudicio Dei ad supplicia ducantur. Nihil ad eorum submotionem poterunt boni & recti corde: sed Dominus est, qui illos abducet suo tempore: nimirum, quando separabit malos de medio iustorum, in extremo scilicet iudicio, vbi dicturus est: Ite maledicti in ignem æternum. Quartò obseruemus etiam hoc, quod dicit: *Cum operatoribus iniquitatis*. Qua in re considerandum est, quàm sit diuersum à iudicio Mundi futurum iudicium Dei, in quo illi qui nunc regnant, & titulis iustitiæ magni & clari habentur, tanquá operatores iniqui & peruersi ad supplicium æternũ abducentur. Qua de re vide verba Christi Matth. 7. ibi: Discedite à me omnes operarij iniquitatis. Quintò, & quod subijcit: *Pax super Israëlem*: de eo nos admonet, tum demum pacem fore Ecclesiæ Christi plenam & perfectam, quando viri declinátes, praui & peruersi, putres pisces, hœdi petulci, & zizania de medio iustorum tollentur, & in sempiternũ separabuntur. Tum demum in sempiterna pace ac felicitate, gaudio & lętitia quiescet ac deliciabitur verus Israël, populus electorum & credentium bonorum & rectorum corde.

PSALMVS CXXVI.

CANTICVM GRADVVM.

Consolationis gratia vaticinatur Spiritus sanctus, fore vt populus captiuitatis magna cum admiratione gentium liberatus à Domino, ingenti sit cum lætitia & exultatione ad sua reuersurus.

VERS. I. *CVm conuerterit Dominus captiuitatem Sionis, erimus veluti somniantes.*

2. *Tunc replebitur risu os nostrum, & lingua nostra cantu: tunc dicent inter gentes, Magnificè egit Dominus cum illis.*

3. *Magnificè acturus est nobiscum Dominus, erimus lætantes.*

4. *Cõuerte Domine captiuitatẽ nostrã, sicuti riuos aquarũ in Austro.*

5. *Qui seminant in lachrymis, cum cantico metent.*

6. *Qui eundo ibat, & flendo portabat trahamsementariam, veniens veniet cum cantico, portans manipulos suos.*

LECTIO. *Cùm conuerterit.*] Græc. & vulgt. Lat. & Hieron. & Iustinianus, & Felix, & Pagn. & Campensis, legunt alij: *In conuertendo Dominus captiuitatem Sion*: alij, *Cùm conuerteret Dominus captiuitatem Sion, facti sumus*, &c.

Vers. 1.

Erimus veluti somniantes.]] Ebr. בחולמים. Græc. & vulg. Lat. *Sicut consolati.*

Vers. 5. *Magnificè acturus est.*] Græc. & vulg. Lat. *Magnificauit Dominus facere nobiscum.* Sic & Hieron. & Iustin. & Felix: & Pagninus.

Vers. 4. *Sicuti riuos aquarum in Austro.*] Græc. reddit: ὡς χειμάῤῥους ἐν τῷ νότῳ: id est, *Sicut torrentes in Austro.* Vulgata Latina: *Sicut torrens in Austro.* Hieronymus: *Sicut riuus in Austro.* Iustinianus: *Veluti riuuli in arido.* Pagninus: *Sicut torrens in arido.* Chaldæus: *Sicut conuertitur terra, quando abundant fluenta aquarum temporc. siccitatis.*

Vers. 6. *Qui eundo ibat.*] Ebr. הלוך ילך ובכה נשא משך הזרע: id est: *Eundo ibat, & flendo portabat traham seminit.* Græc. & vulg. Lat. *Euntes ibant, & flebant, mittentes semina.* Hieron. *Qui ambulans ibat, & flebat, portans ad seminandum sementem.* Iustin. *Ambulans ambulabit, & flebit, portans charum semen.* Felix: *Iens ibit & flens, portans preciosum semen.* Ad eundem modum & Pagninus. Et Camp. *Hi enim soliciti ibant, & flentes portabant in sterilem illum agrum semen precioſum iacturi.* Isti vocem בשן. sumunt pro יקר: id est, *precioso*: Kimhi Ebræum sequuti, qui ad eum modum exponit: & vt sententiam suam confirmet, locum ex 28. capite Iob, versu 18 citat, vbi vocula illa משך sic posita legitur: ומשך חכמה מפנינים: *id est*, Et trahit sapientia præ margaritis: quem loquendi modum Latinis incognitum Germanis familiarem & vsitatum esse constat. Illi dicunt: Vnd die Weißheit zeucht den Perlen für. hoc est: *Sapientia excellit margaritas.* Hunc sensum vidit Kimhi: verùm in eo errauit, quòd voculá משך per יקר, exposuit hoc loco, cùm *trahendi* significationẽ habeat, & in loco iam citato vis excellentiæ, quæ sapientiæ tribuitur, non in משך, sed in præpositione מ voci פנינים, præposita comprehendatur. Quapropter relicta versione illa torta visum est simplicitet retinere Ebrææ vocis signatum, & reddere ad hunc modum: *Qui eundo ibat, & flendo portabat, traham sementariam.* Et illud Amos 9. paulò ante calcem capitis: Ecce dies venient, dicit Dominus, & cõtinget arator messorem, & calcans vuas בממשך חורע: legendum arbitror, *traham seminis*, vel *sementariam.* Alij reddunt, *Portantem semen.* Verùm vox משך, non significat *portare*, sed *trahere*: & in Ebræo non est מוחך, sed משך, quod æquè poterat punctari משך atque מושך. Felinus sic reddidit præsentem versum: *Cùm irent seminatum, ibant & flebant, tollẽtes vasa seminaria.* Tigurina quoque: *Qui portat vas seminarium, perget flendo.*

Cùm

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/ppn358113571/1082 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG